

si viueret, competiisset. Desideranti vero legum, quae eadem confirmant, auctoritates satisfit §. 6. et 8. fin. Inst. de hered. quae ab int. l. 1. §. 4. ff. de suis et legit. her. l. 2. Cod. de suis et legit. liber. Auth. in successionem Cod. eod. Nouell. 118. cap. 1. 2. et 3. Nouell. 127. cap. 1. Consentaneum his quoque est ius Germanicum, quod ex iuris Saxonici Prouincialis Lib. I. art. 5. pr. verbis patet: *Seine hinterlassene Kinder nehmen Theil an ihres Großvaters Erbe, gleich ihren Vettern, an ihres Vaters statt, aber, wie viel ihrer auch seynd, nehmen sie doch nur eines Mannes Theil &c.* Putem igitur definitionem, quam construxi, iuris repraesentationis nihil differre ab ea, quam tradit Heroldus in tract. de iure repraesentationis et transpositionis Cap. III. Sect. I. conclus. 1. Vbi: *repraesentatio, inquit, est ius succedendi, quo liberi vltiores gradu cum defuncti ipsis gradu proximioribus in hereditate aui vel patruī delata parentis sui praedefuncti locum ingredientes eiusque personam vices ac ordinem repraesentantes in stirpes succedunt.* Neque abludit descriptio repraesentationis mea a definitione eiusdem, quam dedit Strykius in tract. de success. ab intest. Dissert. I. Cap. I. §. 68. Vbi: *repraesentationis ius, inquit, successio est in locum personae gradu proximioris, qua liberi fictione iuris parentum locum occupant et ex eorum iure et persona succedunt.* Ceterum, dum ius repraesentationis facultatem dixi moralem occupandi locum et gradum genitoris et cognati ascendentis, facile quiuis videt, his et genetricem cognatamque ascendentem denotari. Item nemo non manu tentat, verba isthaec et descendentium et collateralium successioni accommodari posse. Attamen ceteris paribus. Nam, quod ad collateralium attinet successionem, scimus, tantum parentes, non vltioris gradus ascendentes, vt auum auiamue, repraesentari, quum in hoc genus successione ius repraesentandi ad nepotes

tes